

ANTONII MATTHÆI

J.V.D. & Professoris in Illustri Academia
Groningæ & Omlandia,

COLLEGIA IVRIS SEX

I. Fundamentorum juris. II. Institutionum.
III. & IV. Earundem. V. Pandectarum.
VI. Codicis; & Disputationes quædam
extraordinariæ.

Cum INDICE Disputationum & Materiarum.
Editio Altera.



Abbas
Legatus



FRANCKERÆ,
Apud HENRICHUM & JOHANNEM DEÛRINGIOS.
ANNO M. DC. XLVII.

Illustribus ac Præpotentibus
D O M I N I S
GRONINGÆ & OMLANDIÆ
O R D I N I B V S:
NEC NON
Nobilissimis & Amplissimis Academia
eorundem
C V R A T O R I B V S
Dominis suis beneficentissimis.

Multa magnaquè, Viri Illustres & Nobilissimi, Vestra in me meosque sunt merita. Omnibus indignus videri poteram, nisi & meæ erga Vos gratitudinis documentum extaret. Cum igitur Collegia juris sex, partim in Gymnasio Herbornensi, partim in Academia Marpurgensi, partim etiam in Vestra hæc, non sine labore conscripta, & ad disputandum, publicè, privatimque proposita, rogatu multorum, prælo committere statuissem, Vobis, Mecæneses optimi, ea inscribere & consecrare volui. Non, quod existimarem, hoc scriptionis genere Vestri beneficii gloriam æquari posse, sed ut ne immemor aut ingratus cuiquam viderer. Vestrum erit levidense hoc munusculum ferena fronte excipere, nec non mihi atque meis, uti fecistis hæctenus, ita & imposterum favere: quod ut faciatis obnixè contendo, Deumque rogo, ut Reipubl. Vestræ propitius ex alto benedicat, Vosque, ejus atque Academiæ bono, quam maximè & diutissimè servet atque sospitet. Dab. ex mus. ibid. Maji Anno 1637.

V. V. N. N. & A. A.
addictiss.

ANTONIUS MATTHÆUS,
J. U. D. & Profess.



DISPUTATIO I.

D E

Studio juris rectè instituendo.

*Habita Groninga.*Respond. GERARDO SCHULTE
Bremenfi.

I.



E ratione docendi, discendiq; juris multi libri scripti editiq; sunt: quos si quis omnes ordine evolverit, invicemque contulerit, discordiam reperiturus est implacabilem. *Anton. Cont. 1. sub. jur. leg. ult.*

2. Ab hujus tempore, quot alii de eadem materia in lucem prodierunt?

3. Plerique autem id agunt, ut cum confusè admodum jura sint tradita, ea in meliorem ordinem disponant. In quo tamen cardo negotii non consistit: sed in hoc, ut jura, qualicunq; tandem ordine disposita sint, intelligantur.

4. Mirumque est, quod amsint alium descendi docendique ordinem præscribere, ab ordine Justiniano longè lateque diversum, qui in aliis omnibus Imperatorem mordicè de-

ferunt, indignèque ferunt, si quis in eo nævus notetur.

5. Scribunt iidem commentarios in leges, quos Imp. scribi, sub pœna falsi, vetuit. Atque ita sibi non constant.

6. Sane decuisset in digerendis titulis ac legibus meliorem ordinem servari: sed cum servatus non sit, è re nostra non videtur esse, alium comminisci. Secus si fecerimus, tantum ab est, ut studiis melius consulamus, ut vel maximè laborem, qui simplex & unicus esse poterat, duplicemus.

7. Oportet enim leges in numero habere, & quasi memoriter tenere omnes ac singulas. Id autem facilius assequimur, si leges eo, quo à Justiniano collocatæ sunt, ordine evolvamur, quàm si alium aliquem nobis fingamus, nostro arbitrio.

8. Putas te omnia, quæ scire oporteat, redegisse in tuam metho-

11. Denique Pontifici ipsi hanc donationē falsitatis arguunt, ut *Laurent, Valla in libello de falsa Constantini donatione, Aneas Sylvius, is qui Papatum adeptus, dictus est Papa Pius, Albertus Cranzius in Saxonia lib. 2. cap. 1. Antonius, Florentinus Episcopus part. 1. Chron. tit. 8. §. 9. Alciatus lib. 7. parreg. c. 19. Ferd. Vasquius Hispanus lib. 1. illust. quest. .c. 5. n. 26. Bodin. lib. 1. de Repub. cap. 9. num. 141. & alii.*

12. Et sane memorabile est, quod Sylvius stolidos Legistas appellat, qui tantopere sudarint in disputando, an ea donatio valeat, quæ facta est nunquam: & Bodinus meminit, quod ipse exactis Vaticanis & expresserit, Joannem scilicet cognomento Digitorum, Constantini Magni largitionē aureis literis scripsisse, in cujus extremo hæc verba subjiciuntur: *Quam fabulam longi temporis*

mendacio finxit.

13. Electu jucundum, quod recitat Camerarius in successivis operis cap. 61. Venetos ante aliquot annos à Pontifice Romano, postquam Anconam in suam potestatem redegerat, interpellatos fuisse. Quo jure veteralia & alias jurisdictiones in mare Adriatico sibi solis vendicarent, cum tamen nulla privilegia hac de re monstrare, neque jus suum docere legitime possent? Ad hanc rem eos respondisse, se mirari, quod ista privilegia peterentur demonstrari, quæ Pontifices ipsi penes se, & quidem archetypa, tanquam rem sacram, diligentissime in suis archivis custodirent: eaque facile reperiri posse, si donationis Constantini membrana pars exterior, in qua ea majusculis literis conscripta essent; accuratius inspiceretur.

F I N I S.

